

1539

*Farnesius
Cardinalis
ad conven-
tum Caesaris
& Gallie
Regis in
Galliam mit-
titur.*

*Vastius
Marchio a
Caesare &
Hanibal-
dus a Rege
Venetias
mittuntur.*

*Alexander
Bondimerius
classis lega-
tus,*

se temporum conditionem, ut si unquam consilia ad Apostolicæ Sedis, atque Reipublicæ conjunctionem adhibita fuissent, tum maxime adhibenda essent. Ea nihilominus Pontifex animi molestia compressa, Farnesium Cardinalem nepotem ad conventum in Gallias legavit, atque ut legatum eam ob causam designarent, Patribus auctor fuit. Cæsar, & Galliarum Rex cum ad Rempublicam Vastium, atque Hanebaldum destinassent; ad Pontificem ille Aloysium Davilam; hic autem Guicum misit. Vastius, & Hanebaldus mensis decembris initio ad urbem pervenere. Ea perhonorifica insignium virorum legatio ingenti cum pompa, effusa undique civitate, excepta fuit; Lando Principe magno Senatorum numero stipato solemniori more cum navi regie instructa (*Bucentauri* nomen antiquitas indidit) occurrente, septem militariter adornatis, atque instructis triremibus subsequenter, quibus Alexander Bondimerius, nuper Francisco Paschalico præfectus classis susceptus, præerat. Legatis publico ære, dum in urbe mansere, victus exhibitus; peramplæ, ac magnificentissimæ Ferrariensis ædes, in quibus degerent, tributæ. Postero die a Senatoribus coram Principe, & Collegii Patribus deducti sunt, qui in amplissima majorum comitiorum aula confederant, in quam tanta multitudo omnium ad percelebre spectaculum confluxerat, ut nihil ea die magnificentius intuentibus sese objici posset.

*Oratio Vastii
Marchionis.*

Curiam ingressi, suggestum scandentes, Duce, ac Patribus consalutatis, eminentioris, qua Princeps sedebat, sellæ dexteram Vastius, sinistram Hanebaldus tenuere. Vastius assurgens legationis causam exposuit: quod in omnium piorum votis erat, ac potissimum ad christianæ reipublicæ vulnera sananda mirum in modum exoptandum videbatur, singulari Dei Optimi Maximi beneficio ea tempestate contigisse, ut qui antea summi Principes dissidentes animis, acerrime armis inter se certaverant, ii nunc, simultatibus depositis, ad minime fucatam pacem, concordiamque descenderent; idque unum spectasse, ut perturbatis, atque afflictis christianæ reipublicæ rebus opitularentur; fastum, ac superbiam communis hostis obtrunderent; pioque, & justo bello, sacro fœdere icto, tot a barbaris illatas injurias ulciscerentur: ut hæc ad Rempublicam

per-